


Sed jam ad meteororum compositorum ex ventis procreatorum descriptionem accedimus.

In quarum } Priori corpora in genere à ventis procreata simul atque partes in ipſorum
compositione præcipuæ pertractantur. Media Meteora tenebro-
ſa viſibilia deſcribuntur. Poſtrema illa inuiſibilia formaliter depin-
guntur.



Caput I. Membri II.

Ubi de corporibus meteorologicis ex ventis procreatis in genere agitur.

EAdem eſt corporum meteorologicorum, tam in ſubſtantia quam forma, cum illa illorum perfecte miſtorum conditio, quæ prius in ipſorum à ſimplicitate aerea motu fuerunt corpora imperfecte miſta, in quo ſtatu corporum meteorologicorum formam induebant, videlicet inter terminum à quo, qui eſt ſtatu ſimpliciter aereus, & illum ad quem, perfectam ſcilicet compositionem: quemadmodum in antecedentibus ſufficienter demonſtratum habetis. Ex quibus ſat liquido conſtare videtur, quod omne quod eſt, non ſit originaliter quod ad conſistentiam niſi vnum & idem, videlicet aer, & quod nullum ſit in mundo compoſitum, niſi quod ſit vel meteorum, vel ex meteorum. Meteorum (inquam) ſi ſit corpus imperfectum, & ex meteorum, utpote per cuius naturam neceſſe eſt vt tranſitus fiat de natura ſimplici ad illam perfecte compoſitam. Nam impoſſibile eſt, vt progreſſio à termino à quo, ad illum ad quem, fiat, niſi interpoſito medio, nam in numero binario nulla inuenitur perfectio, quippe cui duo tantum ad ſunt termini, quare à Pythagoricis numerus confuſus & imperfectus non abſurde dicitur. Perfectionis igitur dignitatem quam rectiſſime numero ternario attribuerunt, quoniam in eo tres reperiuntur termini, videlicet principium, medium, & finis, qui termini in compoſitione ſunt velut corpus imperfecte miſtum ſeu meteorologicum. Sic ex farina impalpabili tanquam aere paſtam conſtari videmus, tanquam terminum medium ſeu compoſitionem in motu medio, inter panem & farinam, quæ deinde diminutione humiditatis & coctione & confirmatione compoſiti illius imperfecti in perfectam panis ſpeciem reducitur. Nonne etiam in lignorum ſeu corporis animalis atque etiam metallici velut plumbi, ferri, cupri, &c. examine teſtæ ſeu cupellæ apparet, quod corpora illa ignis violentia in denſum prius fumum ſeu nubis